Fragmentarium

predicationis immunditia maculet. Ferculum fecit sibi
rex salomon. de lignis libani. Ferculum salomonis est sancta
ecclesia. que credentes ad eterne beatitudinis epulas leuat. que
de fortibus animo quasi de lignis imputribilibus constructa est.
Columnas fecit argenteas. Columne argentee sunt doc
tores eloquii luce fulgentes. Reclinatorium aureum. Recli
natorium aureum est. spes perpetue quietis. fidelibus promisse.
Ascensum purpureum. Quod est ascensus purpureus. nisi mar
tirum sanguis. et passio nostri redemptoris. Non enim ascen
ditur ad epulas uite. nisi per misterium passionis christi. Me
dia caritate constrauit. propter filias ierusalem. Omnis enim qui
caritatem habet dei et proximi. ad hanc requiem. et ad epulas
has letus perueniet. Hec omnia ornamenta ecclesie prestitit
christus ob nimiam caritatem qua dilexit nos. et tradidit semet
ipsum pro nobis. Egredimini filie syon. et uidete regem salo
monem. Egredimini mente et actu de turbulenta mundi
conuersatione: ut regem pacificum ualeatis uidere. In
diademate qua coronauit eum mater sua. Videre dominum
christum in humanitate. quam de uirgine matre susceptam in
maiestatis paterne dextera collocauit. In die desponsationis
illius. In tempore incarnationis illius. quando ad copulandam
sibi ecclesiam sponsam. ex uirginali utero processit. Et in die leti
tie cordis eius. id est. redemptionis humani generis. que dies fuit
·iiij· letitie christo. Quam pulcra es amica mea quam pulchra.
Pulchram dicit ecclesiam. et pulchram repetit: quia hanc uerbo
et actione uidit esse laudabilem. Oculi tui columbarum. Sensus

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.2, 10v – Aelredus Rievallensis, Compendium speculi caritatis; Alcuinus, Compendium in cantica canticorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-it7i/5150/49299)